

Propert. II. 6. 9. ad Cynthiam:

*Anne ego transirem tua limina clausa maritus,
Respicens udis obdita luminibus.*

An hic *luminibus udis obdita* fores concipiemus? Num lumina claudunt & obdunt limina? Apage talia. Construendum est: *An ego maritus transirem tua limina, non tantum clausa, sed & repagulis obdita? an udis respicienda mihi essent luminibus?*

Tibul. III. 6. 39.

*Gnosia, Theseae quomdam perjuria linguae
Flevisti ignoto sola relicta mari.*

Hic *relicta*, cave, trahas ad proximum *ignoto mari*. Non enim Ariadne, dum navigaret, flevit & relicta fuit in ignoto mari. Relicta fuit in insula Naxo. Flevit apud litus: querelas *ignoto mari* (tertius hic est casus) exposuit. Vid. ad hunc locum Broukhusius. Unde ergo pendet *relicta*? Supplendum est aliud per ellipsin: *a Theseo perjuro relicta*, Sil II. 237. de Therone:

Herculeae custos videt inpiger arae.

in pugna *inpiger*: sed non tunc *custos inpiger arae* erat.

Sil. XVI. 183. *Hannibal ad afflictis* aderat *nova fœdera quaerens Rebus*. non *ad afflictis rebus* aderat, sed aberat ab illis. Quærebat auxilia rebus afflictis sed in aula potentiore.

Idem XVII. 383. *nunc instanti raptum avebe leto*. Jupiter ad Junonem Hannibalis interitum deprecantem loquitur. *Raptum instanti leto* non conjungetur. Vivebat & victurus erat Hannibal. Sensus: raptum sc. tuo auxilio Hannibalem avehe ab instanti leto.

Idem XVI. 63.

Barbaricam assiliens magno clamore bipennem Incutit.

Larus, juvenis Cantaber incutit in Scipionem bipennem. Nota: *assiliens* nec regitur a proximo nomine: *clamore*. *Pedibus*, non clamore assilimus: nec ab accusativo *bipennem*: Quid enim? *assiliens bipennem*. Absolute ergo *assiliens* ponitur.

Hor. III. Od. 24. 17. *Immunis aram si tetigit manus,*

Non sumtuosa blandior hostia

Mollibit aversos penates

Farre pio & saliente mica.

In constituendo verborum ordine non leves, scio, sunt Commentatorum dividia: Interpretum vulgus nihil hic audio, plus habet caliginis & fuliginis, quam Vulcani barba. Mihi quidem & multis me doctioribus

ribus